

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 190608a

Saturday 08.06.2019

## **Letter to the special envoy to the celebration of the bicentenary of the erection of the diocese of Cerignola**

On 18 May 2019 the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Angelo Amato, S.D.B., prefect emeritus of the Congregation for the Causes of Saints, as his special envoy to the celebration of the bicentenary of the erection of the diocese of Cerignola, to be held in the Cathedral of Cerignola on 14 June 2019.

The special envoy will be accompanied by a Pontifical Mission, composed of the following ecclesiastics:

- Rev. Msgr. Antonio MOTTOLA, vicar general;
- Rev. Msgr. Carmine LADOGANA, former vicar general.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Amato:

### **Letter of the Holy Father**

Venerabili Fratri Nostro  
**ANGELO S.R.E. Cardinali AMATO**  
Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto emérito

Spectabilis dilectaque Ceriniolensis Ecclesia a condita dioecesi ducentesimam mox est repetitura memoriam. Annalium dum monumenta nunc ipsa considerat atque priscorum hominum christianas testificationes, alacritas rursus affertur ad renovato impetu Evangelii salutare monitiones tenendas eiusque laetitiam fruendam.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio

enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat magnificandae, verum etiam animos ad ferventiorum religionis sensum, clariorem fidem certioraque proposita concitandi. Itaque sicut Ecclesia Ceriniolensis quondam felix ingressa est iter ut, divina suffragante gratia, uberem profectum assequeretur, ita nunc eadem vestigia persequens sectansque vera et propria hominis bona, vel insigniorem obtineat spiritalem prosperitatem.

Postulatis idcirco Venerabilis Fratris Aloisii Renna, Episcopi Ceriniolensis-Asculani Apuliae, subvenire cupimus, qui a Nobis fidenter purpuratum Patrem flagitavit ad sollemniter recordationem illam celebrandam, ducentis scilicet exactis annis a Ceriniolensi constituta dioecesi, dum optamus ut congruae exstent hodiernae condiciones ac salutaria consilia, quo uberiores fructus eventuro de tempore ipsa fundat.

Quocirca ut ritus hic spectabilius efficaciusque evolvatur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui illius regionis inclitus es filius ac praeclaris hominibus clarificandis studiose impendisti operam, quique prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te **Nostrum Missum extraordinarium** renuntiamus et constituimus ad sollemnem ritum illum Cerauniae in cathedrati templo sancta Petro Apostolo dicato die XIV mensis Iunii agendum.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi voluntatem Nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam tenendamque, cunctis suam operam navantibus. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum documentum, ab omnibus pro Nostro Petrino munere frugifere absolvendo simul preces petentes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Maii, anno MMXIX, Pontificatus Nostri septimo.

FRANCISCUS

---